



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XVI. An in aliis etiam, præterquam ipsis Prælati Religionum, velcorum
delegatis detur potestas illos absoluendi. Vbi de bulla Cruciatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

*Observanda
circa hunc
parum.*

potestas pluribus delegari potest, quod maxime locum habet in hac iurisdictione, quæ non exercetur sine voluntate, & subiectione penitentis: per hoc autem, quod Superior potestatem suam uni committit, non se priuavit potestate, & libertate delegandi alijs eandem iurisdictionem. Solum obseruare debet Praelatus primo, ne hoc faciat modo sibi prohibito per suam regulam: nam licet pro vna vice, seu ad aliquem actum facile hoc concedatur Praelatis; tamen concedere subdito absolutam, & permanentem facultatem eligendi confessorem, quem voluerit, forte non possunt secundum regularem disciplinam. Et similiter quanuis possit committere cuicumque Sacerdoti, ut semel audiat confessiones subditorum, tamen constituere illum, ut ordinarium confessorem simul cum alio, præsertim respectu eorundem penitentium, sæpe etiam non poterit secundum regulam: illa ergo est consulenda, & obseruanda. Plurimum etiam aduerte debet, ne nimia facilitas in his facultatibus, vel delegationibus, vergat in spirituale nocumentum subditorum, quod facile accidere potest, nisi in personarum defectu magna consideratio habeatur.

CAPVT XVI.

An in alijs etiam præterquam in Praelatis religionis, vel eorum delegatis, sit potestas illos absoluentis.

I. **H**æc occurrit questio, an liceat religionis alteri confiteri præterquam confessori sibi designato à suis Praelatis, vel de illorum facultate. Et ut certa ab incertis separemus, non est questio de confessione venialium, vel in vniuersum de materia non necessaria: quia ad hanc, ut ritè fiat, non est necessaria specialis iurisdicção, sed illa sufficit, quæ omnibus simplicibus sacerdotibus communis est: & ideo si à religioso fiat talis confessio sine licentia Praelati, in rigore valida erit, nec erit grauius peccatum, quam si vnus regula transgressio, quæ, si non obligat in conscientia, illa imperfectio per se non attinget venialem culpam; & licet obliget in conscientia, non credo esse illam materiam mortalis culpæ: per se loquendo, ac secluso contemptu, vel scandalo: quia, cum sacramentum de se sit validum, & aliqui non simpliciter necessarium, modus ille non est adeo grauis, ut defectus illius ad peccatum mortale sufficiat. Difficultas ergo est de confessione de materia necessaria. In qua etiam est certum, iure ordinario, & secluso privilegio, non posse regulares alijs confiteri, nisi confessoribus à suis Praelatis designatis: quia reliqui iurisdictionem in illos non habent. De privilegijs ergo est dubium, quod ex parte penitentium, & ex parte confessorum tractari potest.

*Questio
presens ca
pituli bipar
tis pro mor
talibus.*

An per Cruciatam queant religiosi eligere confessorum.

II. De penitentibus est commune dubium, an religiosus per Bullam Cruciatæ possit eligere confessorem approbatum, quem voluerit, inuito, vel non consentiente suo Praelato. Quæ res satis est controuersa inter modernos, & multi partem affirmantem sequuntur: quia Bulla illa pro omnibus fidelibus conceditur, & quoad hanc facultatem generaliter etiam loquitur, illam tribuendo omnibus fidelibus: ergo comprehendit etiam religiosos, maxime cum sit fauor, qui ampliandus est. Et quanuis religiosus ratione status indigeat facultate Praelati, ut licet accipiat Bullam, vel ut expendat elemosynam ad illam necessariam, vel ut faciat actionem, sine qua effectus Bullæ comparari non potest, tamen hæc licentia Praelati solum est necessaria, ut rectè, & ordinatè hæc fiant. Si tamen, prætermisso

hoc ordine, & sine debita licentia fiant, facta tenent, & sufficiunt ad effectus Bullæ consequendos, si aliud impedimentum non obstat: quia ille modus rectè operandi non est de substantia talis actionis, vel effectus, nec culpa illavideretur ex suo genere esse graue peccatum: quod si aliquando fuerit, per penitentiam deleri poterit, acceptio tamen Bullæ valida manebit, & consequenter visus erit poterit postea esse fructuosus. Igitur siue religiosus Bullam acceperit de licentia Praelati, siue non, poterit postea per illam eligere confessorem independentem à voluntate Praelati: quia non potest inferior Praelatus prohibere facultatem à Superiore datam, vel usum eius: Pontifex autem, qui est supremus Praelatus, dat facultatem eligendi confessorem: ergo non potest Praelatus religionis illam prohibere. Et confirmatur: nam multi religiosi docti, & timorati hanc sententiam sine scrupulo sequuntur in praxi, etiam videntibus suis Praelatis, & tacentibus.

Respondet nihilominus, contrariam sententiam esse veram, securam, & religioni maxime consentaneam, quam plures, & graues Theologi nostri temporis tenent; quibus addi possunt Garzia, de Benef. 2. p. cap. 5. a. num. 6. Ledesma 2. p. q. 29. art. 2. Corduba in annot. super regul. D. Franci. c. 7. quest. 5. puncto 2. Parafel. de priuilegijs. Minimorum c. 10. Sebastianus à Costa d' Andradæ in exposit. Cruciatæ, quest. 107. Potest autem dupliciter fundari primo, quia licet in principio cum ea generalitate concessa sit, postea Pontifices reuocauerunt illam concessionem, quantum ad religiosos, eisque tantum religionis priuilegium concesserunt, nequa posset ea facultate Bullæ uti: ita concessit Minoribus Leo X. ut refertur in Supplem. concess. 144. de 168. & Pius V. Prædicatoribus, ut refert Parafel. in Compendio priuilegiorum Minorum, & Emanuel Rodriquez post expositionem Bullæ Cruciatæ; & Alexander VI. idem concessit Cisterciensibus, ut refertur in eorum Compendio, verb. Cruciatæ, & Gregorius XIII. Societati Iesu in Bulla de visu facultatum. Ad hæc verò, & similia indoluit responderi potest; hos Pontifices potuisse reuocare priores Bullas, vel restringere, quas ipsi concesserant; non tamen potuisse modum ponere posterioribus Pontificibus, & ideo per posteriores Bullas Cruciatæ reuocari concessionem illas, & deinde facultatem illam generaliter concedi.

Sed contra hoc est, quia in vltima clausula eundem Bullæ, etiam expedit à posterioribus Pontificibus, additur limitatio, *Excepta tamen, quæ concessi sunt Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres.* Quæ exceptio generalis est, & ideo citæ non tantum in indulgentias, ut quidam sine ratione volunt, sed absolute in omnes gratias, & facultates in Bulla concessas, nam clausula in fine posita, & verbis generalibus concepta, cadit in omnia præcedentia, ut Iuristæ communiter docent, & est per se euident, quia si clausula sit distributiva, non debet restringi; si verò est indefinita, æquiuale vniuersali, neque est vlla ratio determinandi verba ad vnam partem potius, quam ad aliam, iuxta ea, quæ tradit Abbas in c. *secundo requirunt*. de appellat. c. 10. & 11. cum Bartolo in l. *salus scriptura*. ff. de leg. 1. c. 10. & vi illius clausulæ non reuocatur illud priuilegium religioni, & Superioribus concessum. Hoc verò fundamentum, licet sit probabile pro illis religionibus, quibus illa concessio facta est, non verò sufficit pro omnibus absolute. Item, licet habeat locum in dicta reuocatione Bullæ Cruciatæ facta cum illa limitatione, non tamen in alijs Bullis, quæ generalius loquuntur.

Secundo ergo, & melius, ut opinor, fundatur hæc sententia in hoc, quod talis facultas nunquam fuit

per Bullam Cruciatæ religioſis conceſſa. Quod primo probō: nam fere omnes citati Pontifices in citatis reſcriptis, verbis vtuntur non tam conceſſiuis, quàm declaratiuis: ergo non reuocant facultatem per Bullam conceſſam. Antecedens patet ex Bulla Pij V. vbi referens factum, ait, *Nonnulli huius facultatis vi præſumunt, & illarum prætextu eligunt conſeſſorem*. vbi verbum, *præſumunt*, & vox, *prætextu*, indicant id non legitime fieri: & poſtea concludit, illa priuilegia quoad hoc non habere locum in prædictis fratribus, *Apoſtolicis* (inquit) *auctoritate tenore præſentium perpetuo declaramus*. Clarius verò Greg. XIII. in decreto Societatis declarat, non eſſe, *in ſe, & in quacumque ſua, aut Sedis Apoſtolicæ, vt perſona Societatis, &c.* & Alexander III. in fauorem Cifterciensium ſimiliter declarat, *non eſſe mentis ſuæ, &c.* Paulus V. etiam confirmauit denuo omnia priuilegia Societatis, quæ antea erant reuocata, vt priſtinum haberent vigorem in Bulla anni 1606. quæ incipit, *Quantum Religio*. Ex his ergo, & ſimilibus colligimus illam non fuiſſe reſtrictionem, ſed iuridicam Bullæ declarationem, ac proinde & eſſe perpetuam, nunquamque reuocari, & eſſe vniuerſalem: nam licet ad peculiarem religionem dirigatur, quia ad illius petitionem facta eſt, omnes comprehendit, in quibus eadem ratio iuridicæ declarationis verſatur. Simile argumentum ſumo ex quadam declaratione Cardinalium, facta ad petitionem Patriarchæ Valentini, quæ declarat, moniales Episcopis ſubditas non poſſe vigore facultatis in Bulla conceſſæ alios conſeſſarios, præter eos, qui ad audiendas ipſarum monialium conſeſſiones ab eodem Ordinario approbati fuerint, eligere. Quæ declaratio non potuit fundari in ſpeciali aliquo priuilegio illis monaſterijs, vel Episcopis eorum Prælati conceſſo: quia nec de illo conſtat, neque illa interrogatio, ſeu petitio declarationis fuiſſet neceſſaria, ſi tale priuilegium exiſteret: fundatur ergo in ratione iuridicæ, quæ alijs regularibus communis eſt.

Accedit tandem Bulla Clementis VIII. anno 1599. 23. Nouembr. edita, in qua prædictus Pontifex perpetuo declarat conceſſionem Cruciatæ, & aliorum priuilegioſorum, ſeu indultoſum particularium, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſi ſolent, quantum ad articulum eligendi conſeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatæ cum religioſis, & monialibus quorumcunque ordinum, locum minime habere, nec cenſeri, ſed ſuæ intentionis exiſtere, quod prædicti religioſi & moniales quantum ad Sacramentum Penitentia, ſeu conſeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint. In qua quidem conſtitutione declarat Summus Pontifex nec ſuæ intentionis, nec Sedis Apoſtolicæ fuiſſe, vel eſſe, quod religioſi vel moniales cuiſcunque Ordinis vt poſſint priuilegijs Cruciatæ quoad effectum eligendi conſeſſorem, vel abſoluendi à reſeruatæ. Ex dictis verò iam ſic efformo argumentum: Non ſolum alij SS. Pontifices, ſed Clemens VIII. declarat conceſſionem Cruciatæ, & priuilegia illius quoad eligendum conſeſſorem, vel abſoluendum à reſeruatæ, non habuiſſe nec habere locum in religioſis vel monialibus ſiquæ ad eius tempora: Ergo neque modo habebit. Valer conſequentia, quia tenor Bullarum ſubſequentium eſt omnino idem, & immutatus, præſertim quoad extenſionem, ſeu comprehensionem perſonarum, quæ priuilegijs Bullæ vi poſſunt, & ſolum certo numero annorum, v.g. ſexto quoque anno nouam à Sede Apoſtolica accipit confirmationem, vel renouationem, eodem, inquam, manente tenore Bullæ: ergo ſi antea conceſſio Cruciatæ non comprehendebat perſonas religioſas, vt prædicti Pontifices declarant, nec modo comprehendet, nam noua extenſio ad illas non cenſetur fieri, niſi id explicetur noua a-

Franc. Suar. de ſtatu relig. Tom. IV.

liqua clauſula, ſeu verborum declaratione, vt per ſe patet.

Ratio autem eſſe videtur, quia ſub clauſula generali non comprehenduntur particularia, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, vt eſt regula, in generali. de Regulis iuris, in 6. cap. 2. de poenit. & remiſſ. in 6. In præſenti autem facultas hæc habet in religioſis ſpecialem quandam rationem, & (vt ita dicam) deformitatem: ergo non eſt veriſimile comprehendere religioſos ſub verbis tantum generalibus, quantum ad illam facultatem, etiam quoad alios fauores Bullæ comprehendantur. Minor patet, quia talis facultas verget in magnum detrimentum religionum, vt P. us V. in prædicto indulto fatetur: poteſt enim illa eſſe occaſio diſſolutionis & relaxationis diſciplinæ religioſæ, vt Gregorius XIII. ſignificat: non eſt autem veriſimile voluiſſe Pontifices ſub generalib. verbis tantam licentiam religioſis concedere. Quod declarari poteſt ex alio principio, quod Pontifex concedendo priuilegium generale, non præſumitur comprehendere particulares caſus, qui includunt præiudicium tertij, vel ſunt contra ſpeciale ius alterius: in præſenti autem interuenit præiudicium religionis, & peculiare ius Prælatorum eius, quod ſine dubio habet aliquid magis ſpeciale, quàm ius Parochorum, vel Episcoporum circa ſubditos ſeculares, quatenus Prælati regulares habent ſpecialem obligationem procurandi non tantum ſalutem, ſed etiam perfectionem ſuorum ſubditorum, & conſeruationem ſuæ religionis, quoad diſciplinam religioſam: ergo.

Accedit tandem quod in nonnullis Iubileis, in quibus Pontifices volunt hanc gratiam facere religioſis, id verbis proprijs, & ſpecificis declarant: ergo ſignum eſt, cum generatim tantum loquuntur, non eſſe mentem eorum comprehendere religioſos. Vbi animaduerſione dignum cenſeo non inueniri (quoad ego viderim, aut legerim,) has ſpecificas conceſſiones, niſi in aliquibus facultatibus, quæ pro vna vice tantum & raro, & ex grauiffimis cauſis propter aliquod ſolenne Iubileum conceduntur, quod non ſolum ſine præiudicio religionum, ſed etiam cum fructu poteſt interdum fieri ad ſubueniendum omni generi perſonarum, & vni, vel alteri, qui fortæ ob nimiam verecundiam, aut prauam conſuetudinem onerata habent conſcientiam. At verò in conceſſionibus perpetuis, vel quæ ad longum tempus, & quæ ad ordinariũ uſum conſeſſionis conceduntur, nunquam fit illa ſpecifica conceſſio, quia per licentiam generalem, & talem ordinariũ uſum planè euerteretur diſciplina religioſa: multi enim timorem ac pudorem religioſum amitterent, ex quo etiam non parua infamia religionibus crearetur: ſignum ergo eſt Pontifices per generalia verba non intendere has ſpecificas conceſſiones. In quo etiam expendo circumſpectionem Concilij Trid. ſeſſ. 25. c. 10. vbi cum expediens iudicauerit bis, aut ter in anno dari monialib. extraordinarios conſeſſores, nihilominus illos voluit eſſe designatos ab Episcopis, vel Superioribus: quia cum illa eſſet lex perpetua, inconueniens maximè reputauit liberam facultatem facere monialib. vt vel ſemel in anno poſſent ſuo arbitrio eligere conſeſſorẽ: qui ergo credibile eſt Pontificem eis concedere abſolutam licentiam id ſemper faciendi quotieſcunq; voluerint, per hæc priuilegia, quæ vel perpetua ſunt, vel per cõtinuam ſucceſſionem ſemper durant. Quod ſi monialib. hoc Pontifex non concedit per generalia verba, certè nec viris regularibus, in quibus non minor ratio ſpecialitatis militat.

Quapropter quod de Bulla Cruciatæ dicimus, verum eſſe cõſemus de omnib. Bullis, vt Trinitatis, aut aliarum confraternitatum, & ſimilib. indultis, alijs.

L. 2 per

VI.

VII.

Accedit o-
ptimum in-
dignum ex
quibusdam
Iubileis.

Alterum
indignum ex
Trident.

VIII.

Diſta ha-
bent de
Bulla Cru-
ciatæ exten-
ſionem ad
alias.

per quæ conceditur hæc facultas permanens, & generalis per similia verba, propter easdem rationes. Estque de hoc egregia declaratio, & concessio facta Ordini Cisterciensium, ut habetur in eius Compēdio, ver. *Confessionale*. §. 4. ubi ita concluditur, si quis ergo monachus, vel monialis quodcumque confessionale impetraret, aut eo absque Superioris facultate vel præsumpserit, eo ipso impetratum caret, ac penitus confituum, & definitionum inhabilitatis, & suspensionis subiicitur, prout concessit Clemens VII. In Iubileis autem, ut dixi, quæ pro vno tantum actu conceduntur, facilius potest admitti illa extensio, sed in eis necessarium iudico, ut aliquibus specialibus verbis sufficienter ostendatur illam fuisse intentionem concedentis.

IX.
Ad argum.
in num. 2.

Ad fundamentum ergo contrariæ opinionis, concessis omnibus, quæ in ea præmittuntur, negamus Pontificem, talem licentiam religiosis concedere, ideoque siue accipiant Bullam de licentia Prælati, siue absque illa, non possunt uti illa facultate Bullæ, non quia Prælati tollat illam, sed quia Pontifex non dedit. Dices, ergo quamvis Prælati det facultatem non solum accipiendi Bullam, sed et utendi omnibus facultatibus eius, non poterit religiosus uti hac facultate, quia non est sibi facta per Pontificem. Respondendo primum, si Prælati verba sint tantum generalia, idem concesso, propter ea, quæ dixi de specialitate huius facultatis, quæ multo maior mihi esse videtur in persona religiosa, quam sit in persona seculari facultas ab Episcopo data confitendi alteri de sibi reservatis: at verò ius declarat sub facultate Episcopi ad absolutionem de omnibus peccatis non comprehendendi reservata: ergo similiter in presenti sub generali licentia fruendi gratijs Bullæ, non comprehenditur hæc facultas, quæ vix potest prudenter concedi. Deinde, si in particulari hoc etiam concedat Prælati, poterit religiosus illa facultate uti vel quia ipse Prælati potest per se illam concedere, vel certe, quia tunc cessat præiudicium tertij, & ideo possunt verba Pontificis ad illam personam extendi, quia se gerit tanquam liber, & sui iuris. Atque hoc modo excusari possunt religiosi, qui in præxi sequuntur alteram sententiam: quia Prælati eorum tacite consentiunt, dum sciunt, & non resistunt: quod si ita est, ipsi Prælati videant cur, & quomodo id faciant. Ego verò existimo eos magis fundari in ignorantia, putantes contrariam sententiam esse practicè probabilem: quod ego mihi non existimo.

X.
Videri quod
nouveaux
non possent
Cruciata.

Solet autem peculiariter dubitari, an idē dicendum sit de novitijs, quod nimirum non possint uti Bulla quoad hanc facultatem sine licentia Prælatorum. Videntur nam rationes factæ in eis procedere, non quoad hoc iudicandi sunt ac si essent veri religiosi, nam pro tunc sunt sub iurisdictione religionis quoad hoc forum, ut in simili dixit Cord. lib. 1. Questionarij, q. 30. ex quo loco possunt multa desumi ad hanc partem confirmandam. Nihilominus probabilius censeo, posse novitijs gaudere hoc privilegio Bullæ, siue eam acceperint antequam religionem ingrediantur, siue postea illam sumpserint de licentia Prælatorum, vel absque illa. Ratio est, quia si attendantur generalia verba Bullæ, omnes comprehendunt: specialis autem illa ratio, ob quam credimus non comprehendere religiosos quoad hanc facultatem, non ita habet locum in novitijs: tum quia verè non sunt religiosi, & simpliciter liberi sunt, ut de se, & de actibus suis possint disponere, c. *religiosus*. de sent. excom. c. *non solum*, de Regularib. in 6. cum similibus. tum etiam, quia ex eo, quod novitijs habent hanc facultatem, non sequitur morale detrimentum religionis: ergo nullum habemus sufficiens fundamentum, ut eis hanc gratiam denegemus. Quin potius etiam post declarationes Pontificum, quod religiosi non possint uti tali facultate sine licentia suorum Prælatorum,

probabilius est novitijs posse nihilominus uti prædicta facultate Bullæ: quia quoad hunc rigorem non comprehenduntur sub religiosorum nomine, iuxta generalem regulam Doctorum in dict. c. *religioso*. & Summistarum verb. *religio*, & aliorum quos congerit Tiraquel. de vtroque retractu p. 1. §. 1. glof. 8. n. 28. & sequentibus, quæ hic maxime locum habet, cum non militet in presenti eadem ratio in novitijs, quæ in vero religioso quoad subiectionem, & dependentiam à suis Prælati. Et hanc sententiam tenent frequentius moderni Doctores, & alij, quos referemus in puncto sequenti.

An per privilegium unius religionis possit absolvi penitens alterius religionis.

Aliud membrum supra propositum in fine n. 1. tractat, an ex parte confessorum sit in aliquibus iurisdictione, seu potestas per privilegium aliquod concessa, ratione cuius possint religiosi eis confiteri sine suorum Superiorum facultate. In quo solum est dubium de iurisdictione delegata à Papa, seu per privilegium Sedis Apostolicæ: inferior n. sufficere non potest eo, quod religiosi sint exempti (de his enim loquimur) iurisdictione omnium aliorum Prælatorum extra suam religionem, non minus in foro penitentiarum, quam in exteriori: igitur neque ab ipsis Prælati externis absolvi possunt: multo ergo minus à delegatis eorum. De habentibus autem iurisdictionem delegatam per Pontificia indulta, est nonnulla ratio dubitandi: quia religiosi non sunt exempti à iurisdictione Pontificis, sed Pontifex concedit mihi, v. g. iurisdictionem, ut possum audire confessiones sibi subditorum: ergo possum audire confessiones quorumcumque religiosorum: ergo & ipsi poterunt mihi confiteri sine facultate suorum Prælatorum, vel etiam contra prohibitionem illorum, quia non videntur posse id prohibere: sicut non potest Parochus prohibere subdito suo, ne religioso privilegio, & approbato confiteatur.

Nihilominus dicendum est, vnumquemque religiosum debere in hoc servare suum institutum, & maxime in hac parte semper erit munitum Sedis Apostolicæ approbatione, & confirmatione. Si ergo Prælati alicuius religionis iuxta suam regulam non prohibent subditos suos confiteri cuicumque habenti alias iurisdictionem sufficientem in illo foro, poterunt tales religiosi absolvi non tantum à suis Prælati, sed etiam à quibuscumque religiosi privilegio, & approbatione ad tale munus. Quia confessores ipsi de se potestatem habent ad quascumque confessiones audiendas, si alias ex parte penitentium non sit impedimentum, sed in huiusmodi religiosi non est impedimentum, quia seclusa prohibitione sui instituti, aut Prælatorum, nullum est, ergo. Solum in hoc potest adverti, contingere posse, ut in aliqua religione sint aliqui casus peculiariter reservati, quamvis alias non sint prohibiti confiteri dicto modo, & tunc licet confitendo de alijs peccatis fieri possint dictis confessoribus, quoad reservata verò servanda erit regula statim tradenda de cæteris religiosi, quibus specialiter prohibetur est confiteri alicui sine licentia sui Prælati. Quia Prælati talis religionis tunc non dant facultatem supra peccata sibi reservata: tum quia nec iurisdictionem, seu facultatem tribuunt, ut supponimus, sed tantum non prohibent: tum etiam, quia licet darent facultatem confitendi cui vellent, non intelligeretur comprehendere casus reservatos sub illa generali cōfessione, iuxta c. 2. de peni. & remiss. illa generali potestas, quam confessores aliorum in 6. Neque etiam extenditur ad hos casus reservatos, prode habent, extenditur ad hos casus reservatos, propter ea, quæ statim dicemus. Existimo autem paucos esse, vel nullas religiones, in quibus tantum habeant religiosi libertatem, sed in omnibus observatur, ut religiosi nemini possint confiteri, nisi vel proprio

Prælati, uel de licentia eius, ſeu confeſſori ab ipſo designato.

XII. Sic ergo dicendum eſt, huiusmodi religioſos non poſſe conſiteri alijs religioſis, uel ſacerdotibus, etiam hiſ, qui alijs habent iuriſdictionem delegatam à Papa, ut confeſſiones generaliter audiant. Ita ſentiunt Doctores omnes, quos ſtatim referam. Aliqui conantur hoc fundare in ſola poteſtate ordinaria Prælatorum religionis: nam qui poteſt ligare, poteſt abſolvere, c. ſi inferior. 21. d. & c. ſi Petrus. 24. q. 1. quod principium maximè verum habet in habente ordinariam poteſtatem; ſed Prælatiſ religionum data eſt poteſtas abſoluedi ſuos religioſos: ergo poſſunt etiam eos ita ligare, ut ab alijs abſolui non poſſint. Et confirmatur, nam ob hanc rationem poſſunt caſus ſibi referuare. Confirmatur ſecundo: nam Prælatiſ religionum commiſſa eſt propria cura ſpiritualis ſuorum religioſorum, & ideo illiſ data eſt plena iuriſdictione ordinaria in hoc foro: ergo eo ipſo eſt eis conceſſum, ut ſine eorum facultate non poſſint alijs conſiteri.

XIV. Hæc uerò rationes, & ſimiles, licet probent reſpectu inferiorum Prælatorum, aut confeſſorum habentium ab eis delegatam iuriſdictionem, non tamen reſpectu confeſſorum habentium iuriſdictionem à Papa. Nam illud principium, Qui poteſt abſolvere, poteſt & ligare (præter alias fallentias, uel interpretationes, quas recipit) ad ſummum procedit reſpectu inferioris, uel æqualis iudicis, non uero reſpectu ſuperioris: nam inferior non poteſt ita ligare ſubditum, quin à ſuperiore Prælatiſ poſſit abſolui. Eadem autem ratio eſt de ſuperiore ac de delegato eius, quia cenſetur eſſe una iuriſdictione. Quamvis ergo Prælatiſ religionis poſſit ligare ſubditum, ne ab alio poſſit abſolui, non tamen poteſt in ea ligatione comprehendere Pontificem, uel habentem poteſtatem ab illo: hic autem agimus de confeſſoribus habentibus à Pontifice poteſtatem. Vnde ad primam confirmationem eodem modo reſponderi poteſt, licet Prælatiſ religionis poſſit referuare caſus reſpectu inferiorum, uel æqualium, non tamen reſpectu Papæ. Et patet, quia etiam Episcopii poſſunt referuare caſus, & tamen religioſi aliqui per indulta Pontificia poſſunt ab illiſ abſolvere: ergo eadem ratione poterūt abſolvere à peccatis reſeruatſ à religionum Prælatiſ. Vnde etiam non uidetur urgere 2. confirmatio, quia, quamuis oues alicui, ut proprio Paſtoriſ committantur, ſemper manet integrum ius ſupremi Paſtoris, ut per ſe, uel per alium poſſit in eas influere.

XV. Oportet ergo oſtendere, non eſſe uoluntatem i. phusmet Pontificis delegare cuiquā ſuam iuriſdictionem reſpectu aliorum regularium, repugnantibus, uel non conſentientibus Prælatiſ illorum: hic enim eſt punctus difficultatis. nam reuera, ſi Papa uoluiffet aliter illam iuriſdictionem concedere, potuiſſet, & factum teneret, ut probant tam ratio dubitandi in principio poſita, quam obiectiones factæ contra ſuperius fundamentum. Illud autem aſſumptum probatur ex priuilegio Innocentij IV. conceſſo Ordini Prædicatorum, ſcilicet, ut fratres habentes facultatem, ut confeſſiones generaliter audiant, non poſſint talium religioſorum confeſſiones audire, niſi pœnitentes à ſuis Prælatiſ licentiam habeant. Quo priuilegio gaudent per uiam communicationis aliæ religiones, quæ illam habent. Referatur autem illud priuilegium in Supplemento Societatis, uerbo *Confefſ. ritus*. §. 5. Idem reſert Emmanuel Rodr. tom. 1. quaſt. 62. art. 4. quamvis ſolum uideatur intelligere prohibitionem illam quoad alios Prælatos, uel confeſſores ab eis approbatos, & iuriſdictionem habentes: ramen propter Franc. Suar. de ſtatu relig. Tom. IV.

hoc ſolum non erat neceſſaria ſpecialis prohibitio: quia illud ex vi exemptionis, & iuriſdictionis horum Prælatorum prohibitum erat, ut probat primum fundamentum adductum in num. 12. ergo uniuerſalius intelligenda eſt illa prohibitio de quibuscunque confeſſoribus. Idem conceſſum eſſe ab Innocentio VIII. & Iulio II. Ordini Eremitarum S. Auguſtini, reſertur in Compendio Mendicantium uerb. *Confefſio*. & c. *Confefſor*. §. 6. & 7. & Clemens VII. ac Gregorius XI. idem conceſſerunt Ordini Cisterciensium, ut habetur in eius Compendio uerb. *Confefſor*. §. 3. ubi etiam dicitur, ab antiquo fuiſſe illi Ordini indultum, ut unusquisque Monachus conſiteri debeat ſuo Prælatiſ, uel alijs de eius licentia, aut designato confeſſori Conuentuali. Quæ conceſſio intelligi debet excluſiue, ſcilicet ut alteri conſiteri non poſſit, quantumcunque ipſe confeſſor aliunde habeat iuriſdictionem ad confeſſiones audiendas. Idem enim Pontifex, qui talem iuriſdictionem conceſſit, poteſt alia via limitationem hanc adhibere, ſcilicet, ut reſpectu regularium nemo ui poſſit tali iuriſdictione, niſi pœnitens à ſuo Prælatiſ facultatem habeat. Denique limitationem illam expreſſe poſuit Benedictus XI. in Extrauag. *Inter cunctas*. de Priuilegijs dicens, *Non religioſi, qui ſecundum ſtatuta ſuorum Ordinum proprii Prælatiſ conſiteri debent, aut ab eis, ne conſiteantur alijs prohibentur*. Atque ita eſt etiam conſuetudine receptum in omnibus religionibus bene ordinatis. Quæ conſuetudo ſufficiens eſſe ſolet ad ſuo modo dandam, uel tollendam iuriſdictionem in hoc foro. Vnde nec moniales etiam conſiteri poſſunt quibuscunque regularibus confeſſoribus, niſi de licentia ſuorum Prælatorum. Et ideo Congregatio Cardinalium circa c. 10. de Regularibus ſeſſ. 25. Concilij Tridentini declarauit, etiam extraordinarios confeſſores, qui aliquoties in anno dandi ſunt monialibus, à Prælatiſ illarum eſſe approbandos, ita ut ſi monaſteria ſint ſubiecta regularibus, Episcopii approbatio non ſufficiat, niſi in aliquo extraordinario caſu, quem infra in ſpeciali capite de monialibus fortalle attingemus.

Tandem ex hiſ omnibus probabiliter coniectare poſſumus, à principio non fuiſſe mentem Pontificum concedentium religioſis iuriſdictionem ad confeſſiones audiendas, illiſ concedere facultatem audiendi confeſſiones regularium inuitis eorum Prælatiſ: nam quæ à Deo, & eius Vicario ſunt, ordinata ſunt: cum ergo Prælatiſ religionis ab ipſo Pontifice habeat ius prohibendi ſubdito, ne extraneis conſiteatur, inordinatum eſſet, ut alij nihilominus haberent iuriſdictionem ab eodem Pontifice ad tales confeſſiones audiendas. Dices, eadem ratione diceretur eſſe inordinatum, quod habeant iuriſdictionem audiendi confeſſiones ſecularium inuitis Parochiſ, uel Episcopis. Reſpondeo, non eſſe ſimilem rationem, quia non eſt tanta dependentia uoluntatis hominis ſecularis à ſuo Episcopo, uel Parocho, quanta eſſe debet uoluntatis religioſi à ſuo Prælatiſ: nec etiam eſt tam neceſſaria ſubordinatio inferioris ad ſuperiorem, nec tam intima cognitio, quam ſuperior debet habere de inferiori: & ideo in ſtatu religioſo multum inuertitur debitus ordo per huiusmodi libertatē ſubditorum, quod non ita fit in ſtatu ſeculari. Propter hoc ergo ſatis uerifiſimile eſt, Pontifices nunquam intendiſſe dare hanc iuriſdictionem cum detrimento religioſi ordinis ac diſciplinæ: & ad hoc confirmandum iuuant, quæ ſuprà in ſimili puncto diximus, & per hæc ſatis reſponſum eſt rationi dubitandi in contrarium.
